

¶ VIII. TATA, verè affirmari potest, ex qua Ebionitas, Nicolaitas, Cerinthianos egressos esse, liquido constat.

76. Tandem unitatem hanc Ecclesiæ non tollit Rituum sive Ceremoniarum dissonantia, quarum in Ecclesijs aliquis esse solet usus.

77. Nam ut rectè Confessio nostra infert: Satis est ad veram unitatem Ecclesiæ consentire de doctrina Evangelij, & administratione Sacramentorum: Neque necesse est, ubique esse similes traditiones humanas, sive ritus aut ceremonias ab hominibus institutas.

78. Et sanè jam inde ab Apostolorum temporibus, dari nullum tempus potest, quo universalis in ritibus sive Ceremonijs Ecclesiæ fuerit consensus & conformitas.

79. Quin imò de tali consonantia, ne Romana quidem Ecclesia in hunc usque diem gloriari potest, in qua, si nihil aliud, Monastici saltem ordines distincti & diversa celebrandi sacrificij Missaristica officia dissonantiam ingentem pariunt.

80. Præterea & impossibilis, & inutilis, & minimè omnium necessaria est illa rituum in Ecclesia conformitas: Impossibilis quidem propter diversa humani arbitrij judicia, & crebras temporum, subjectorum & objectorum vicissitudines ac mutationes. Inutilis, quippe cum servitutis Iudaicæ jugo vel maximè conjuncta. Minimè denique